

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A. 1564.

PARS TERTIA.

159

pestivo quodam mētu magis, quam aeris infectione perire, & plures ferē ~~ā ipsā~~  
quam ~~ā ipsā~~ extingui. Sed sic visum est Domino, qui & capillos capitis nostrī  
numeravit. Habeo hic Studgardiæ collegam, M. Theophilum Cleberum, ju-  
venem doctum, & fidem ecclesiæ ministrum. Hujus frater, cui nomen  
est, M. Nathanael Cleberus, petit apud vestros functionem scholasticam. Et-  
si autem mihi non est notus, tamen facio de eo conjecturam ex fratre collega  
meo. Et gubernavit haec tenus osto annis Scholam Memmingensem. Audio  
quoque, te fuisse discipulum parentis ipsorum, è quo & tu ipse de filio ju-  
dicare potes. Hunc Nathanaelem tibi commendō, quod & tuo favore dignus vi-  
deatur, & sperem, operam eūs vestræ scholæ utilē fore. Bene ac feliciter  
vale, unā cum collegistuis, fratribus mihi in Christo amicissimis, & precor,  
ut in adjutorio altissimi habitent, ac in protectione DEI cœli commoren̄tur.  
Studgardiæ, die 26. Decembr. Anno 1564.

Jo. Brentius.

Audio in Polonia Servetismum non tantum gliscere, verum etiam mirificē  
grassari. Sed sic est. Væ mundo à scandalis.

LXIV.

S. D. Cum jam in procinctu esset hic tabellarius, ut ad iter paratissimus,  
& me accessit, & literarum aliquid à me petivit. Quia vero, Reverende  
& Clariss. Domine Doctor, frater in Domino Carissime, & inhumanitatis  
& ingratitudinis non vulgaris notam incurserem, si non subinde missis  
literis, animi mei sinceram affectionem tibi, & roti Ecclesiæ vestræ testa-  
tam facerem, hanc oblatam occasionem libenter arripui, teque hac brevi  
pagella hoc tempore compellare volui, ut videres, me sempiternam & fixam  
vestri memoriam retinere. Atque ut tecum gratias DEO æterno patri, &  
Filio, Emanueli nostro agas, significo tibi, Ecclesiæ nostræ & pacatas esse,  
& propter consensum veræ doctrinæ, beneficio clementiss. patris mediocri-  
ter florere. Idem & vestræ Ecclesiæ, & cæteris omnibus in toto terrarum  
orbe sparsis ex animo precor. Ac te peramanter oro, ut per occasionem de  
statu Academiæ vestræ, & Ecclesiæ, quem cupio esse quam florentissimum,  
aliquid ad me scribas. Has quoque literas ut Domino Köttericio meo trans-  
mittas oro. Felix & salutare hujus anni curriculum vobis publicè & pri-  
vatim opto. Date subito, XII. Januarii, 1565.

Tunc

Streitbergerus.

Z 2

LXV.